

## COLONNA

### Triumphate fideles

#### SUNGTEXT

##### **Ecce iubar, ecce aurorae (For a saint), GPC19**

Ecce iubar, ecce aurorae  
primi risus fulgorantes,  
ridet Thetis, rident flore  
rosae rore rutilantes.

Salve dies beata  
flammis mirari luminis,  
salvete caeli incolae,  
vestra gaudia augete.  
Salvete vos terrarum  
hospites fortunati  
et vos omnes salvete  
in orbe nati.

Triumphales, immortales  
date cantus hilares,  
et plaudendo, congaudendo  
sonet vox dulcissima

Aeterna scandit limina  
Beatissimus N. N.,  
omnes caelestes alites,  
stellarum agmina occurrite,  
et vos terrarum orbis habitatores  
accedite iungentes  
praecibus honores.

In hac die tam solemn  
prata rident venti flamine,  
procul sunt euri furentes,  
vernant campi pubescentes  
aurae placide solamine.

Alleluia.

##### **O lucidissima dies (for the Holy Spirit), GPC 21**

O lucidissima dies,  
o lux vere serena!  
O semper fulgida aurora  
quae diu exoptata mortalibus  
inter flammis celestes,  
inter linguas ardentes  
caelestem reddis amorem!  
Orbi sacer reddit amor;  
inter flammis, inter estus  
ad amantes reddit estus  
verum numen, carus ardor.

Ad ardoris redivit munus  
Caeli flamma, mundi Deus,  
nova redivit luce laetus

mundo clarus Caeli fulgor.

O felix vere dies,  
o clara semper aurora,  
o splendida aurora,  
o candida dies,  
o iubar serenum,  
lux vere decora,  
o dies iucunda.  
O fulgidum iubar,  
o mundi triumphum  
o Caeli portentum,  
o vere beatam,  
o felicissimam diem!

Alleluia

##### **O ingens divini presulis munus (for a Saint) GPC 28**

O ingens divini presulis munus  
O vere magna, caelestis aulae laetitia!  
Audite, o mortales, audite, exultantes  
aetheris voces  
Conspicite quales Caelum nunc promat  
honores

Ad sidera accedit  
Ad summos honores  
qui pectore praestans  
qui candidamente  
caelestem, beauctum  
amavit amorem.

Laetamini gentes: vester hodie beatus  
praesul  
summo triumphat in ethere!

Vos linguae sonantes  
ad melos venite  
vos fundite cantus  
vos dicite plausus  
laetantes, gaudentes  
ad cantus venite

O faelix, o laeta dies,  
quae sacris decora fulgoribus  
orbem terrarum divinis illustrat  
honoribus

Laeta semper exultando  
plaudat orbe nostra mens  
colaetetur iubilando  
caro ardore, sacro amore  
inflammata mundi gens

Alleluia

Sonet aether, sonet orbis  
Oblaetetur nostra spes  
et gaudento delectetur  
ad solamen, ad levamen  
in amando nostrum cor  
Alleluia

##### **Ad gaudia gentes (throughout the year) GPC26**

Ad gaudia gentes  
Ad iubila amantes  
ad palma pugnantes  
ad risum dolentes  
Compescite luctus  
ascete dolores  
venite ad amores  
o animae ardentes

Intuemini fidelis animae,  
admiramini quanta fecit Dominus  
diligentibus se

Sit amor in spe  
Sit spes ad amorem  
det fides honorem  
spectabili re  
Sit candida spes  
sincerus sit amor  
fidelis sit ardor  
mi numen pro te

Eripuit nos de inimicis nostris Dominus  
deus noster  
Misit sagittas suas et dissipavit eos  
multiplicavit fulgura et conturbavit  
eos.

Ergo laetas date voces  
date cantus, date melos  
omnis vox promat ad caelos  
prompta modos congaudentes  
Ad gaudia gentes (etc.)

**Ad pugnas fideles (throughout the year) GPC22**

Ad pugnas fideles,  
ad arma mortales,  
in hostes letales,  
in bella lacessant,  
quae signa benigna  
disperdunt rebelles,  
accendant imbelles,  
dant vires vitales,  
ad pugnas fideles,  
ad arma mortales.

Expergiscimini Fideles omnes!  
Consurgite, pugnate,  
triumphate victores.

Mundi surgit ad honores  
in hac die grande decus,  
novum iubar, novum munus  
vestros fulget ad amores.  
Spretas mundi per ambages,  
forte pectus si pugnabit  
spe munitum, fide armatum  
inter palmas triumphabit.

Eia igitur ad clades (?) Erebi,  
ad mundi pugnas,  
ad caelestem victoriam,  
ad bella venite,  
ad arma volate,  
vos fortes pugnate,  
caelestes coronas  
sperate, pugnate;  
iam cedunt rebelles  
dum pugnant imbelles  
in hostes letales.

Alleluia

**Sacri amoris ad ardores (for the Blessed sacrament) GPC30**

Sacri amoris ad ardores  
turbae amantes properate  
eia gentes festinate  
date plausus, date honores

Egredimini filiae Sion  
intuemini novam lucem  
divini amoris formam  
devoto lumine contemplaturae

Iam gaudent aethera  
iam rident sidera  
recenti lumine  
iam caelum rutilat  
Amoris gaudia  
felici carmine  
canoro murmure  
undique resonant

Descendit Caelestis amor  
Descendit Maximum numen  
ut sui amoris incendia  
toto terrarum orbem diffundat

Ad sacros fulgores  
si numen descendit

divinos amores  
in nobis accendit

Humanas ad voces  
si numen se promit  
honores veloces  
in terris exposcit

O amor, o salus, o vita  
mortalibus gaudis cara  
sis semper serena,  
sis semper clara.

Laudis ergo sonet honor  
date voces o mortales  
per quae cantus immortales  
celebretur divus amor

Alleluia

**CD2****O Sidera, o Coeli (for a Saint) GPC27**

O Sidera, O Caeli,  
O montes, O rupes,  
O flumina, O maria  
gaudete, ridete  
laetamini festantes  
in hac die terra  
in hac die Caelum  
totus orbis jubilet

N. beatissimi est hodie solemnitas  
in qua gloriosa merita celebrantur  
hodie post terrena certamina  
post mundi fraudes in Caelum ascendit  
o dies albo sempre signanda lapillo  
O summae falcitatis vera fruitio!

Quid ergo expectatis  
mortales fideles?  
accedite, accurrite  
date voces date cantus  
una mecum dicite  
Veni veni vir sanctissime  
Veni nos illumina  
et disperde tuo lumine  
infernali regni tenebras

Exultantes spirent venti  
dulce fremat mare  
nos canendo plaudamus  
et soave concinamus  
decantemus, resonemus  
carmina laetitiae  
Alleluia

**O Coeli devota (for the blessed Virgin) GPC25**

O Coeli devota serenitate ridentes  
in tanta solemnitate admiramini et  
obstupescite  
Hodie universi terrarum tractus  
sacratissimam Mariae Virginis  
festivitatem celebrant  
Disertissimi oratores exornant

Vos angelicae turbae musicis favete.

Angeli currite  
plaudite Cherubim  
dicite seraphim  
virginis glorias  
Tympana resonent  
Pectora concinant  
sistolae dedecent  
qualiter gaudeant

Ecce Ancilla trinitatis  
Ecce sancti spiritus  
ecce nata summi Patris  
Ecce sponsa coelitus

Ad delicias, ad hortum accedant piaes  
mentes  
ubi salubris ades, o speciosa oliva,  
o palma, cades.

Haec ergo corde condite  
nam matris alma dignitas  
et voce laeta pangite  
est filiorum bonitas  
Fons vobis sit et gratiae  
sit porta cunctis caelitus  
nunc semper pura facies  
sic dabit cor anhaelitus.  
Alleluia.

**Triumphate fideles (for the holy Cross) GPC29**

Triumphate fideles:  
illuxit iam tandem  
auspicatissima dies  
qua vindex nostrae libertatis  
apparuit in terris

Properate festinate  
nunc laeti mortales  
venerate adorare  
crucis fructus vitales  
date plausus date honores  
ipsa caeli pandit flores

O Beatissima crux,  
quibus ne dignis te efferam laudibus?  
Dum tuo gremio recepisti  
quem astra claudere non potuerunt.

Iesu amara  
mundi cara  
bona Crux  
sola fuisti  
refulxisti  
in Christo contempto  
et mundo redempto  
tu mortem vicisti

Crux bona, tu desponsata altissimo  
fidelium cordibus, aeternam pacis  
dulcedinem

Per te laetus exultat olimpus  
et sestanter nunc lubilat orbis  
Ira fremit erebam,  
nunquam planctus  
semper cantus

ore dulci resonent  
si in te ostium pietatis  
argumentum caritatis  
Caeli nobis promitur

O crux venerabilis  
ab hostium insidiis Christianum  
protegat orbem  
ut tui numinis sub umbra sempiterna  
tandem requescamus in pace.

Alleluia.

**Gaudete, Cantate (for a virgin) GPC24**

Gaudete cantate  
O laeti mortales,  
canendo laetales  
dolores fugate.  
Vos campi florentes  
spirate odores,  
vos teneri flores  
per prata ridete,  
Cantate gaudete.

Exoritur in terris  
novi syderis lux  
Quae solis ut fax  
est nobis Dux  
uti est Caeli pax,  
splendet, ducit, inflammat,  
ardore accendit,  
fulgore defendit,  
dat errantibus lumen,  
dat Caeli numen.  
Salve Sancta Christi sponsa  
quae salutis verae dives  
flores sacros quae portasti  
componendis gratiae favis.  
O fideles exultate,  
huc accedite veloces,  
dignos plausus celebrate,  
triumphales date voces.  
Effloruit in Jesse,  
emicuit in Sion,  
Virginitatis rosa  
quae odoris gratiae  
gaudia largitur.  
Gaudete cantate.

Alleluia

**Ad novum caeli iubar (for the Blessed Virgin) GPC24**

Ad novum Caeli iubar  
mortales exultate.  
Ad Poli clarum decus,  
ad Orbis claram lucem,  
ad dignam caeli duce  
fideles advolate.

Haec est Maria,  
Virginitate candens,  
Amore ardens,  
sanctitate corruscans.

Ista mundi per errores

nostrae micat stella rati  
et fulgoris fortunati  
dux amica semper fulget,  
ut securas tangat fortis  
digno portu Caeli fores.

Orbis sola per ambages  
callem pandit caeli clarum,  
sacrum iter et praeclarum  
ductrix sternit proli humanae,  
ut honores tangat Poli  
mundi spretos per fulgores.

O quam pulchra es Maria!  
O quam decora!  
O quam praeclara filia Ierusalem!

Tu Mater, tu sponsa,  
tu Virgo, tu pax,  
tu Gloria, tu vita,  
tu splendor, tu fax.  
Tu fax est amoris,  
tu vita serena,  
tu numine plena,  
tu virgo decoris.  
Tu Caeli regina,  
tu Mater es digna,  
tu Virgo benigna,  
tu sponsa divina.

Alleluia.

**Ad amores, ad honores (for a Confessor) GPC20**

Ad amores, ad honores  
properate, festinate  
o fideles animae.  
Triumphantis Christi decus  
celebrate unanimes  
laetabundo carmine.

Felicissima tandem  
haec illuxit dies  
non solis irradiata fulgoribus  
sed divinis honoribus  
novo lumine decorata;  
vos cordium concordii iubilo  
priscos arcete dolores.

Ad amores ad honores...

Eia? Eia quam mora?  
Accedite, accurrite fideles  
et sic exultate.

O, laetus triumphus,  
sors semper beata  
sit animae in te.  
Tu pignus amoris,  
tu decus honoris  
si exhilaras me.

Lux ista tam clara  
est inclita pax.  
O Christe resurgens  
tu funere surgens  
es praevia fax.

Alleluia.